41220

EPISTOLA
SANCTI FRANCISCI SALESII,
EPISCOPI GENEVENSIS,
AD QUENDAM ECCLESIÆ PRÆSULEM.
IN QUA
MODUM PRÆDICANDI EI DESCRIBIT.
SUB
AUSPICIIS
REVERENDISSIMI
DOMINI DOMINI ONUPHRII
SZEMBEK,
ECCLESIÆ CATHEDRALIS CULMENSIS
PRÆPOSITI,
NEC NON
REGIO JNSIGNIS COLLEGIATÆ VARSAVIENSIS
ARCHIDIACONI COADJUTORIS, ET CANONICI.
DUM
Ad objecta contra Propositiones Theologicas
responderent:
FRANCISCUS SMULSKI.
MATTHÆUS BALEWICZ
GRATIANUS BORZYM.
è
CONGREGATIONE MISSIONIS
SACRÆ THÆOLOGIÆ CANDIDATI.
DIEBUS
PUBLICIS DISPUTATIONIBUS CONSECRARI SOLITIS
CLERO OBLATA.
IN
SEMINARIO VARSAVIENSI
AD ÆDEM S. CRUCIS.
Annô 1777.

Sacerdotis Antonii Kornitowicz.

PER-ILLUSTRIS REVERENDISSIME

DOMINE

EXimia ac singularis TUA in Divum Antistitem pietas & religio, verum intimumque Servi tui in Te obsequium effecêre; ut hæc exigua Sancti Præsulis pagella, in Cleri Ecclesiæque emolumentum TUO sub Nomine in lucem prodiret; æquum etenim justumque est, ut, quæ multoties, multorum aliorum, eorum etiam, qui primi inter Ecclesiæ Prælatos recensentur, præsetulit nomen, hæc glorietur & TUO, QUI à primis Vocationis & Ordinationis TUÆ annis, non obscurè (ut multis aliis & Servo tuo notum fuerat) Sancta Sancti Pastoris vestigia

ut

presseras. Deus ter Optimus Maximus faxit, ut, quibus tam feciliter institisti, illìs non aliò, quàm quò Sanctus Pontifex pervenit, gradiaris; hæc multorum, hæc sunt, eruntque semper vota tui Servi, qui si aliquam TE inscio agens commisit culpam, facilè se obtenturum veniam sperat apud EUM, QUEM, uti cæterarum aliarum virtutum, ita bene novit SALESIANÆ mansuetudinis verum Hæredem; memineris insuper Per-Illustris Reverendissime Domine, quòd & TU cùm Romæ esses, ratione non absimili; quæ in gratiam & favorem Servi tui, aliorumque egeras, fecisti, cujus benefacti, grati & memores si alii sunt omnes, sum hodieque & Ego.

TUÆ Per-Illustris

Reverendissimæ Dominationis

Jndignus Servus

J. C. C. M.

EPISTOLA
S. FRANCISCI SALESII
EPISCOPI GENEVENSIS
Ad Quendam Præsulem.

De vera arte prædicandi.

DOmine, nihil amori impoſſibile eſt. Vilis quidem, imperitus Prædicator sum; urget tamen charitas, ut aggrediar judicium meum de vero prædicandi modo tecum communicare. Nescio, an tuus erga me amor has aquas de petra eliciat; vel, an meus adversus te amor de spinis rosas producat. Jndulge, ut hoc verbo *amoris* utar, Chriſtiano namque more loquor; neque mirum, aut inuſitatum exiſtimes, quòd aquas, & rosas tibi promittam: hæc enim epitheta omni doctrinæ Chriſtianæ, quantumvis malè contextæ, conveniunt. Ordior. Deus optimus ſit operis Auctor, & Confector.

De vera arte prædicandi.

UT ordinatè loquar, prædicationem in suis quatuor causis considero, videlicet: efficienti, finali, materiali, & formali; sive: quis, quo fine, quid, & qua ratione prædicare debeat.

Quis prædicare debeat. ?

NEmo quisquam hoc munus suscipiat, nisi tribûs dotibûs ornatus sit: morum scilicet probitate, doctrina congruenti, missione legitima. Non moror in missione, sive vocatione: unum observo, Episcopis non solùm missionem, sed & originem Ministerii propriam esse, cæteris autem prædicatoribus nonnisi rivulos ab hoc fonte ductos. Primum hoc eorum, & magnum munus est. In consecratione de illo commoniti, specialem gratiam recipiunt, ut illud cum fructu obeant. D. Paulus in hac vitæ conditione scribit: *Væ mihi est, si non evangelizavero.* Tridentinum Concilium declarat: *Præcipuum Episcoporum Officii munus esse, prædicare.* Ex attenta horum consideratione animum erigamus, quòd Deus in hac actione singulari modo nos juvet. Et mirum dictu est, quam gratiam, quod pondus conciones Episcoporum præ concionibus aliorum Sacerdotum habeant: quantumvis enim copiosi sint rivuli, amamus tamen ex fonte bibere.

Quod ad doctrinam attinet; sufficiens, non præstans petitur. S. Franciscus doctus non fuit, nihilominus eximius Prædicator: & ævo nostro B. Cardinalis Borromæus nos erat nisi valde mediocri scientia, attamen mirabilia fecit.

Novi centena hujus exempla. Vir liberaliter eruditus (Erasmus) dicere consuevit, præcipuum modum, ut quis doctus evadat, esse, docere; Sic prædicando, quis Prædicator fit. Id solum adjungo: Prædicator satis

doctus

doctus est, si non ambit videri plus scire, quàm sciat. Nescimus de Mysterio Trinitatis aptè loqui? nihil de illo dicamus: non sumus bene versati in expositione: *In principio.* D. Joannis? prætermittamus. Non deficiunt aliæ materiæ his utiliores; neque enim desideratur, ut omnia præstemus.

Quod ad probitatem pertinet; id vitæ genus, non aliud exigitur, quàm, quod Apostolus Episcopis præscripsit, ea ratione, ut necesse non sit, nos præstantioris virtutis esse, ut Prædicatores, quàm ut Præsules. Indubitatum igitur ex Paulo est: *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse.* Animadverto tamen non solum exigi, ut Episcopus, & Prædicator nullius sit lethalis culpæ reus, sed & ut certas leviores noxas devitet, imo & quasdam actiones, quæ peccatum non sunt. S. Bernardi Doctoris nostri apophtegma est: *Nugæ Sæcularium, sunt blasphemiæ Clericorum.* Sæcularibus indultum est: ludere, venationi operam dare, conversationibus in noctis partem uti; & hæc in illis peccatum non sunt. Verum nisi hæ actiones in Episcopis, & Prædicatoribus, millenis sint circumstantiis conditæ, quæ difficulter se se offerunt, scandalum, & grave scandalum erunt. Vulgus de illis dicit: tempus illis suppetit, ut rebûs gratîs se oblectent: de mortificatione postea sermonem instituant, profectò risu excipientur: Non nego, licere semel, aut iterum infra mensem lusu honesto animum relaxare; attamen addo, cum magna circumspectione id faciendum esse. Quid de venatione? hæc penitus prohibetur. Idem ju-

dicium de superfluis expensis, quæ in conviviis, vestibus, & libris fiunt. In homine sæculari redundantia sunt, in Episcopis non leve peccatum. Bernardus egenos sic post nos clamantes inducit: *Nostrum est, quod expenditis, nobis crudeliter eripitur, quidquid inaniter expenditur.* Qua fronte mundi superfluitates objurgabimus, si nostræ se illi spectandas præbent. Ex Apostoli doctrina: *Oportet Episcopum hospitalem esse.* Porro hospitalitas non in eo sistit, ut convivia splendidè adornemus, sed, quæ Episcopum decet, quamque Tridentinum præfinit, frugali mensa hospites libenti animo recipiamus. Excipio certos casus, quos prudentia, & charitas, bene, & rectè discernet. Cæterùm nemo in concionem prodeat, nisi Missam ante celebraverit, aut celebrare velit. Fidem pene superat, teste Chrysostomo, *quanto terrori sit os diabolo, quod S. Sacramentum recepit.* Ita res habet: videtur post S. Paulum dici posse: *An experimentum quæritis ejus, qui loquitur in me Christus?* recipit inde animus uberiorem fiduciam, fervorem, & lumen. *Quamdiu sum in mundo*, ait de se Salvator, *lux sum mundi.* Certum est, quòd Dominus noster, dum realiter in nobis est, lumen nobis conferat, quia lux est. Ita pariter oculos discipulorum in Emmaus, post fractum & sumptum panem, apertos fuisse novimus. Ut minimum debeat animus Sacramento pænitentiæ cum Deo reconciliari, juxta illud, quod Deus in Psalmo dicebat: *Peccatori autem dixit Deus, quare enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum.* Et D. Paulus:

Castigo

Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne cùm aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar. Verum, ultra quàm satis sit, de hoc.

De fine Concionatoris.

FInis causa præcipua est rerum omnium: hic agentem ad agendum movet; omnis enim, qui agit, & propter finem, & secundùm finem agit: hic & materiæ, & formæ modum, & mensuram dat: Secundùm propositum namque, aut domum lautam, aut ædiculam construendi, paratur materia, opus disponitur. Quis itaque finis est oratoris sacri in dicendo? Finis illius idem sit, oportet, quem Dominus noster sibi præfinivit, dum in hunc mundum veniret. Audiamus de se ipso dicentem: *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant.* Ergo finis est operam dare, ut peccatores, in iniquitate mortui, justitiæ vivant: & ut justi vitam spiritualem habentes, abundantiùs habeant, ad perfectionis apicem magìs in dies tendendo: quodque Jeremiæ dictum fuerat: *ut evellat, & destruat*, vitia & peccata; *& ædificet, & plantet*, virtutes & perfectionem. Quoties igitur Prædicator in concionem ascendit, intra se dicere debet: *ego veni, ut hi vitam habeant, & abundantiùs habeant.* Porro ut hoc propositum assequatur, duo ei præstanda sunt; videlicet: Docere, & movere; docere virtutes, & vitia; illas, ut populum ad earum amorem, prosecutionem, & praxim animet: hæc, ut detestetur, vincat, & fugiat: verbô illuminare debet intellectum, & inflammare volun-

tatem

tatem. Idcirco mittebat Deus Apostolis die Pentecostes (qua die Episcopi Consecrati fuerunt, in Cæna ante Sacerdotiô inaugurati) linguas ignitas, ut scirent linguam Episcopi debere Auditorum intellectum illustrare, eorumque voluntatem incendere. Novi equidem, multos in oratore tertiam quandam dotem desiderare; nempe, ut delectet. Verùm quod ad me attinet; distinguo, & statuo, esse delectationem quandam, quæ doctrinam & motum sequitur. Quis enim sensus ita expers est, ut eum non delectet, viam ad cælum bene, & sancte discere, aut qui non ex amore divino summum solatium capiat? & hæc quidem delectatio plane, & omnino debet procurari: ast nihil distinctum habet à docendo, & movendo; cùm ad utramque pertineat.

Alia verò delectationis species est, quæ à docendo & movendo non gignitur, sed ab iis distinctum quid habet, imò doctrinam & motum frequenter impedit, & est certa titillatio aurium, quæ ex quadam elegantia sæculari, mundana, & profana, ex certis curiositatibus, ex artificiosa partium, & verbòrum connexione oritur; paucis; quæ tota ab arte dependet.

Et quod ad hanc attinet, fortiter, & constanter nego, concionatori de illa cogitandum esse. Oratoribus profanis, circulatoribus, & Aulicis propria est, qui illâ se oblectare solent. Non prædicant hi Jesum Christum sed semet ipsos: *Non sectamur lenocinia Rhetorum, sed virtutes Piscatorum.* Apostolus detestatur Auditores *prurientes auribus:* quod con-

consequens eſt, prædicatores, qui his placere quærunt. Ineptia eſt hominis nomen eruditi affectantis. Nolim, ut populus ex Eccleſia pedem efferens dicat: quàm excellens eſt hic Orator: quàm acri & felici eſt memoria, quàm eruditus, quàm bene dicit. Mallem audiri: quàm speciosa eſt pœnitentia, quàm neceſſaria, Deus meus! quàm bonus, quàm juſtus es; & iſtiusmodi, aut quod Auditores plene persuaſi, non aliud de peritia prædicatoris teſtimonium perhibeant, quàm morum emendatione; *ut vitam habeant & abundantius habeant.*

Quod debeat eſſe sermonis Argumentum.

PAulus unô verbô Timotheum suum docet: *Prædica verbum*, videlicet Dei. Chriſtus ipse Apoſtolos jubet, *prædicare Evangelium.* S. Franciscus mandatum hoc exponit, fratribus suis præcipiens, ut virtutes, & vitia, infernum & Paradisum prædicent. Omnem hanc materiam libri divini abunde suppeditant, ut nihil aliunde requirendum ſit. Ergo=ne Eccleſiæ Doctores, & libri Sanctorum ad id usui non ſint? planè utendum illîs. Etenim quid eſt doctrina Patrum, quàm Evangelium explicatum, & Scriptura expoſita? inter Scripturam S. & doctrinam Patrum ea fere eſt ſimilitudo, quæ inter amygdalum integrum, & diffractum, cujus nucleus ab omnibus manducari poteſt; aut inter panem

inte-

integrum, & panem in frusta discissum. Indubiè igitur adhibendi sunt, velut instrumenta, per quæ Deus verum verbi sui sensum nobiscum communicavit. Quid de historiis Sanctorum sentiam; petis? Bone Deus! estne quid illis utilius? quid amænius? verum quid sunt vitæ Sanctorum, quàm Evangelium actionibûs expressum? non aliud inter Evangelium scriptum, & Sanctorum vitas discrimen intercedit, quàm inter musicam notîs exhibitam, & musicam decantatam.

Quid de usu historiarum profanarum? bonæ sunt, non aliter tamen illîs utendum, quàm instar fungorum, parum scilicet, & ad cibi solum appetentiam excitandam: sed & tunc bene condiendæ sunt, & ad mentem Hieronymi ita parandæ, ut Jsraëlitæ fæminas captivas, nuptui tradendas, adornare solebant; ungues videlicet demendo, & capillum tondendo: hoc est, Evangelio plenè adaptandæ sunt, & solidæ Christianæ virtuti, demendo, quidquid reprehensione dignum in actionibus paganis, & profanis invenitur. *Separandum* in illis est, ut Scriptura loquitur, *prætiosum à vili.* In fortitudine Cæsaris separanda est, & arguenda ambitio: in magnanimitate Alexandri, vanitas, ferocitas, & superbia: in Lucretiæ castitate, mors illius ex desperatione secuta.

Quid de fabulis & Poëtis? de his nihil, aut adeo modicum, adeo appositè ad argumentum, & talibus cum circumstantiis, ut instar antidoti deserviant; ac unus quisque advertat, non pro consvetudine eas adduci:

idque

idque totum quàm brevissimè. Versus illorum utiles sunt: antiqui, licèt multùm devoti, illîs interdum usi fuerunt. Imo & ipse Bernardus: de quo nihil comperti habeo, unde illos didicerit. S. Paulus primus omnium Aratum, & Menandrum citavit. De fabulis in Veterum Sermonibus nunquam quid legi, illa de Ulisse, & Sirenibus excepta, quam Divus Ambrosius in uno sermonum exposuit. Idcirco statuo aut nunquam, aut tam modicè, ut vix ac ne vix quidem adhibitæ videantur. Non decet idolum Dagon, cum Arca fæderis componi.

Quid demum de historiis naturalibus? commodè allegantur, nam mundus verbô Dei factus, hoc verbum ubique spirat: omnia illius opera laudem canunt conditoris. Mundus hic liber magnus est, qui verbum Dei continet, eâ tamen linguâ, quàm non omnes callent. Qui meditando illum capiunt, bene agunt si ad exemplum S. Antonii eo utantur, cui nulla alia erat librorum supellex. Apostolus ait: *Invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Et Psaltes Regius: *Cæli enarrant gloriam Dei.* Liber hic pro similitudinibus, comparationibus *à minori ad majus*, & pro millenis aliis rebus inservit. Antiqui Patres illîs affluunt, & Sacri Codices millenis in locis. *Vade ad formicam. Sicut gallina congregat pullos suos. Quemadmodum desiderat Cervus. Quasi Struthio in deserto. Videte lilia agri*, & plurima ejusmodi. Verum super hæc omnia Prædicator caveat falsa miracula, historias ridiculas, & visiones ex qui-

bus-

busdam infimæ notæ Authoribus depromptas, sed & res indecentes afferre, quæ ministerium nostrum vituperabile, & despectum reddere possint.

En, quæ de materia in genere dicenda rebar. Superest, ut de illius partibus singillatim tractem. Prima igitur pars sunt loci Scripturæ, qui certò primum locum tenent, & structuræ fundamentum sunt: nam verbum prædicamus, & doctrina nostra in authoritate pōsita est. *Ipse dixit: hæc dicit Dominus:* dicebant Prophetæ. Et ipse Dominus noster: *Doctrina mea non est mea, sed ejus, qui misit me.* Loci tamen singuli, quoad fieri poterit, genuinè, clarè, & bene exponantur. Porro rectus locorum Scripturæ usus hic est, ut eos in uno ex illo quadruplici sensu explicemus, quem veteres sic metricè designarunt.

Litera facta docet, quid credas Allegoria
Quid speres Anagoge, quid agas Tropologia.

Quod ad sensum litteralem attinet; hauriri is debet ex commentariis Doctorum. Hoc totum est, quod dici potest. Concionatoris erit, hinc hausta ornare, verba ipsa, eorumque proprietates, & vim expendere. Exempli causa, explanavi heri magnum illud mandatum. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua.* Cogitabam cum nostro D. Bernardo *ex toto corde*, idem esse ac fortiter, & ferventer diligere; quod fortitudo sit propria cordis. *Ex tota anima*, affectuosè amare; nam pars inferior animæ sedes est passionum, & affectionum. *Ex tota mente*, esse: spiritualiter, & discre-

tè

tè diligere; quòd mens spiritus ſit, & pars superior animæ, ad quam prudentia, & judicium pertinet, ut zelum *secundum scientiam & discretionem* formet. Similiter verbum *diligere*, expendendum eſt; nam ab *eligo* derivatum, sensum literalem propriè exprimit: Mandatum scilicet eſſe, ut noſtrum cor, anima noſtra, & Spiritus noſter Deum rebus omnibus eligendo præferat, in quo verus amor appretiativus conſiſtit; de quo Theologi hujus præcepti verba interpretantur. Si quando Patres & Doctores opinione diſſident, nunquam illæ opiniones adducendæ sunt, quas refutare oportet: nam non ascendimus cathedram, ut contra Patres & Doctores Catholicos disputemus: non decet revelare infirma Magiſtrorum noſtrorum, & ea, quæ illis ut hominibus exciderunt: *ut sciant gentes, quoniam homines sunt*. Rectè tamen varias interpretationes adduces, ſingulas laudando, & scitè amplificando: ut quidem nuper tempore jejunii verni ipse feceram, sex opiniones, & expoſitiones Patrum super his verbis: *Dicite, quia servi inutiles sumus*, & super aliis, *non eſt meum dare vobis*, adducendo. Nam ſi bene memineritis, ex ſingulis optimas concluſiones duxi: attamen sensum D. Hilarii, ut mihi videtur, ſilentiô tranſivi: aut ſi non feci facere debuiſſem, quòd probabilis non fuerit.

Pro Allegorico sensu quatuor, aut quinquæ capita prædicator observet. Primum: sensum Allegoricum non nimis longè accerſitum adhibeat, ad illorum normam qui res omnes Allegoricè adumbrare solent: sed talem, qui à natura ex litera fluat; quomodo Paulus ab Esau & Jacob,

cob, ad populum Judaicum & gentilem Allegoriam traxit: & de Sion, aut Jerusalem ad Ecclesiam. Alterum: ubi non est verisimillimum, quòd res una typus alterius fuerit, nolim locum unum ut alterius figuram, sed simpliciter ad modum comparationis adhiberi. Exemplo sit: plures in Junipero, sub qua Elias angore oppressus obdormivit, allegoricè Crucem Domini repræsentatam docent; mallem dicere: ut Elias sub Junipero obdormivit, ita nos sub cruce Domini somnô Sanctæ meditationis requiescere convenit, non verò, quòd Elias hominem Christianum Juniperus crucem significet: nolim enim asseverare, quòd illa hanc denotet, alteram tamen cum altera rectè comparari censeo: hac enim ratione discursus firmior erit, & reprehensioni minùs obnoxius. Tertium: Allegoria decens sit. In quo plures redargui commerentur, qui prohibitionem in Scriptura factam, ne fæmina inter virorum duorum jurgia maris verenda apprehendat. *Deut:* 25. Allegoricè exponunt de malo, quod Synagoga facit dum gentibus suam Originem exprobrat, quodque filii Abrahæ non sint. Nam licet aliqua forte subsit species probabilitatis, indecens tamen est; quòd hæc prohibitio periculosa animos Auditorum ideâ inficere posit. Quartum: Allegoriæ non sint longæ; nam prolixitate gratiam amittunt, & in affectationem tendere videntur. Postremum: applicatio clara sit, ut facilè capiatur, magnoque cum judicio fiat, partem ad partem dextre referendo. Eædem ferè regulæ in sensu Anagogico & Tropologico observandæ: quorum prior historias scripturæ ad æternam, quam speramus,

vitam,

vitam, alter ad animum & morum instructionem refert. Subjungo exemplum, quod ad quadruplicem hunc sensum opportunum erit. Verba Dei de Esau, & Jacob loquentis: *duæ gentes sunt in utero tuo, & duo populi ex utero tuo dividentur, populusque populum superabit, & major serviet minori. Gen:* 25. ad litteram intelligenda sunt de duobus populis, secundùm carnem ex Esau, & Jacob ortis, de Jdumæis scilicet & Jsraelitis: quorum minor Jsraelitæ, natu majorem Jdumæos, tempore Davidis, superavit. Allegoricè, Esau præfigurat populum Judaicum, natu majorem in cognitione salutis; illi enim primò Evangelium promulgatum fuit: Jacob repræsentat Gentiles, natu minores, qui tamen Judæis demum excelluerunt. Anagogicè, Esau denotat corpus, ut pote natu majus; priusquam enim anima crearetur, corpus, & in Protoparente, & in nobis formatum fuit: Jacob typum refert animæ, natu minoris. In futura vita Spiritus antecellet corpori, eique dominabitur, quod tum illi sine contradictione plenissimè serviet. Tropologicè, Esau est amor proprius, Jacob amor Dei in animis nostris. Ille natu major est, ut pote nobiscum ortus, hic minor, nam nonnisi per Sacramenta & pænitentiam comparatur; nihilominus convenit, ut amor Dei in animo imperium teneat. Porro quadruplex hic sensus amplam, & insignem materiam sermonis suppeditat, & audientes mirè illustrat, ut doctrinam bene capiant: Hinc illos adhibere oportet, iis conditionibûs, quas pro recto Allegorici sensus usu proposui.

Post

Post Scripturam Patrum, & Conciliorum sententiæ eminent. De his id solum observo, non nisi rarò, easque breves, acres, & ponderosas deligendas esse. Prædicatores, qui longas afferunt, fervorem, & attentionem plurimorum Auditorum ad languorem adigunt, seque ipsos periculo exponunt, memoriâ vacillandi. Breves, & ponderosæ sententiæ ejus generis sunt, quales hæ D. Augustini: *Qui fecit te sine te, non salvabit te, sine te:* & altera: *qui veniam pœnitentibus promisit, tempus pœnitendi non promisit.* In Bernardo nostro infinita occurrit ejusmodi textuum copia: oportet tamen illos latinè adductos sermone patrio nervoso reddere, & paraphrasi, seu pleniore interpretatione explicare.

Sententias sequuntur rationes; quibûs, qui ingenio valent, perbene utentur, easque in libris Doctorum, singulariter vero D. Thomæ faciliùs, quàm alibi reperient. Rectè deductæ materiam satis utilem subministrant. Si de virtute quadam differere velis, consule, summam D. Thomæ inspice, ubi de illa disputet; observa quid doceat; & plures rationes invenies, quæ pro sermonis argumento servient. Attamen sub illius finem hæc materia adhiberi non debet, nisi quis sciat clarè illam proponere, ut ab Auditorio saltèm mediocri nullo labore teneatur.

Exempla vim miram habent, magnumque sermoni gustum præbent, siquidem ad rem faciant, & bene proposita, rectè accommodentur. Deligendæ sunt historiæ illustres, dilucidè autem, & distinctè proponi, & ad argumentum

aptè

aptè accommodari debent, ad exemplum Patrum, dum Abrahamum exhibent, filium suum immolantem, ut oſtendant, quòd nulli rei parcendum ſit, ad Dei voluntatem implendam. Omnia enim ſigillatim enarrant, quæ Patriarchæ hujus obedentiam commendant. Abraham, inquiunt, senecio, Abraham, qui non habebat, niſi hunc, adeo speciosum, prudentem, probum, & amabilem filium, nihilomius absque contradictione, querela, aut cunctatione, montem conscendit, ut suis manibus illum immolet. Jmo excitatius accomodant: & tu Chriſtiane, tantopere cunctaris, non dico filium, aut filiam, non facultates tuas, aut majorem illarum partem, sed vel nummum, ut Dei amore pauperi subvenias: vel unicam relaxationis tuæ horulam, ut Deo servias: unicam levem affectionem immolare.

Abſtinendum tamen à descriptionibus inutilibus, & flaccidis, quas Tyrones plures adhibent, qui pro eo qùod hiſtoriam nudè, & ad morum eruditionem proponant, divagantur: & Jsaaci venuſtatem, Abrahami præacutum ferrum, ambitum loci, & hujusmodi inepta describunt. Insuper exemplum non ita ſtrictim proponatur, ut non moveat, neque adeo productè, ut tædium pariat. Præterea nulla fiat introductio personarum hiſtoriæ, inter se mutuò colloquentium, niſi verba ex ipſis scripturis desumantur, aut veri ſimlilima ſint. Ut in præsenti hiſtoria ineptum foret, Jsaacum super ſtrue lignorum lamentantem, & Patris commiserationem implorantem inducere, ut vitam servet: aut Abrahamum intra se luctantem, & gementem; nam injuria utriusque forti animo

fieret.

fieret. Similiter hi; quibus meditandi studium collocutiones suggerit, duas in prædicatione regulas teneant: unam quidem; ut observent, num super apparenti quadam probabilitate fundatæ sint: alteram; ne illas longiùs producant. Nam & Orator, & Auditores inde refrigescunt. Exempla Sanctorum miræ virtutis sunt; præcipuè popularium illius Regionis, in qua prædicatur, ut Bernardi Divione in Burgundia.

Superest, ut de similitudinibus pauca subiciam. Incredibilem hæ vim habent, ad intellectum illuminandum, & movendam voluntatem. Desumuntur ex humanis actionibus, alteram cum altera comparando. Ut quæ Pastores faciunt, cum his, quæ Præsules, & Pastores animarum facere convenit; ad exemplum, quò Dominus in parabola ovis perditæ usus fuit: ex historiis naturalibus, herbis, plantis, animalibus, ex Philosophia, denique ex omnibus.

Similitudines rerum trivialium rectè applicatæ eximiæ sunt, ut illa Domini in parabola de semine; ex historiis naturalibus de sumptæ, si quædam historia elegans sit, & bene applicata, mirè sermonem ornant; ut illa scripturæ, de renovatione Aquilæ, quâ peccator pænitentiâ innovatus exhibetur.

Porro in his secretum est Prædicatoribus valde proficium: similitudines videlicet quasdam ex certis scripturæ locis depromptas adducere, quas perpauci observant; id quod verborum consideratione fieri solet. Exemplo sint verba Davidis, de mundi sectatoribus dicentis: *Periit*

memo-

memoria eorum cum sonitu. Duas ſimilitudines ex totidem rebus sumo, quæ cum sonitu pereunt. Dum vitrum frangitur, perit cum sonitu: ita improbi cum modico, & brevi rumore pereunt; fit quidem de illis sermo, dum è vita excedunt: verum ut vitrum fractum prorsus inutile eſt, ita hi infelices absque spe salutis æternùm pereunt. Altera eſt: dum dives quidam emoritur, omne æs campanum pulsatur, pompâ maximâ funus effertur: sed finito pulsu, quis illi requiem precatur? quis de illo loquitur? nemo. D. Paulus de homine, qui charitate deſtitutus, pietatis officia præſtat, ait: *Factus eſt ſicut æs sonans, aut cymbalum tinniens.* Ab ære campano ſimilitudo sumitur, quod alios ad templum vocat, quin illud unquam ingrediatur: ita pariter, qui ſinè charitate virtutem colit, aliis exemplô ad pietatem præit, & illos ad cælum incitat, quod ipse non intrat. Porro ad inveniendum has ſimilitudines, verba expendi debent, niſi Metaphorica ſint; hæc enim ſimilitudinem ultro offerunt. Pro exemplo ſit illud Psalmi. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatâſti cor meum.* Conſideranda hic sunt verba *dilatâſti* & *cucurri* nam metaphoricè sumuntur. Inquirendæ hìc res, quæ per dilatationem celeriùs incedunt, & reperies quasdam, ut navigia, dum ventus illorum vela extendit. Naves enim dum in porru otiantur, mox ut aura propitia illarum velis se inſinuat, eaque implet, in altum provehuntur: ita certò fit, dum ventus secundus Spiritus S. corda noſtra subintrat, anima currit, & ple-

nis velîs agitur in mari mandatorum. Hac ratione, qui ſtudiosè verba notat, multas & aptas ſimilitudines formabit: in quibus tamen observanda decentia, nequid vile, abjectum aut sordidum dicatur.

Poſtremò exiſtimo, quod scripturâ per applicationem rectè utamur, & ſi frequenter id, quod ex illa deducitur, proprius illius sensus non ſit: uti S. Franciscus eleemosynam, *panem Angelorum* appellavit, quòd Angeli inspirationibus suis ad illam largiendam ſtimulent, adhibendo in eum finem verba Psalmi: *Panem Angelorum manducavit homo.* Quo tamen in genere magno judicio, & delectu opus eſt.

De Materiæ diſpoſitione.

IN primis via, & mothodus certa tenenda eſt. Nihil enim adeo Prædicatorem juvat, nihil sermonem magis proficuum reddit, vel Auditores plus oblectat.

Porro Methodum claram deſidero, manifeſtam, & nullatenus reconditam, ut plures facere solent, exiſtimantes ſingularem Magiſtri artem eſſe, ſi ſic dicendi modum tegat, ut nemo intelligat. Quæso, cui commodo erit modus, ſi non capiatur ab Audiente? Ut in hoc te juvem, de ſingulis materiis loquar, puta, ſi sermonem habere cogites, aut de hiſtoria, vg. Nativitatis, Resurrectoinis, Ascenſionis; aut de aliqua scripturæ sententia, vg. *Omnis, qui se exaltat, humiliabitur:* vel de Evangelio integro, in quo plures senten-

tiæ

tiæ occurrunt : aut de vita Sancti cum sententia.

Quandocunque historia argumentum sermonis est, unus ex his modis adhibendus.

1. Expende, quot personæ in illa numerentur; dein deduc ex singulis considerationem. Sic in Resurrectione Dominica video Marias, Angelos, sepulchri custodes; & dulcissimum Servatorem nostrum. In mulieribus sanctis observo fervorem, & diligentiam : in Angelis gaudium, & jubilationem ob vestitum candidum, & fulgorem : in custodibus infirmitatem hominum contra Deum quid molientium : in Jesu gloriam, de morte triumphum, & spem nostræ resurrectionis.

2. In Mysteriis pars principalis assumi poterit, ut quidem in præcedenti exemplo Resurrectionis ea expendi, quæ præcesserunt, & quæ secuta sunt. Resurrectionem præcessit mors, descensio ad inferos, liberatio Patrum in sinu Abrahæ detentorum, Judæorum metus, ne corpus Jesu furtim tollatur; Resurrectio ipsa in corpore beato, & glorioso. Illam consecuta sunt, terræ motus, visio, & apparitio Angelorum, fæminæ Christum requirentes, Angelorum responsum : In omnibus his mira, & varia offendes, quæ concinno ordine exponi possunt.

3. In Singulis Mysteriis considera : Quis? cur? quomodo? ut in Resurrectione : quis surrexit? Dominus. Cur? propter suam gloriam & nostrum bonum. Quomodo? gloriosus, immortalis &c. In Nativitate, quis natus fuit? Salvator. Cur? ut nos salvet. Quomodo?

do? in extrema paupertate, frigore, nuditate, in ſtabulo, Infans. Poſt hiſtoriam brevi paraphraſi explanatam, tres quandoque, aut quatuor meditationes ex illa rectè deducentur. Prima, quid nos doceat ad fidem firmandam: ſecunda, ad ſpem augendam, tertia ad charitatem inflammandam: ultima, quid imitandum nobis, & perficiendum ſit. In exemplo Reſurrectionis Jeſu Chriſti quod ad fidem ſpectat; cernimus Dei omnipotentiam, corpus ſepulchri lapidem penetrans, immortale, impaſſibile, & totum ſpirituale redditum. Quam firmiter itaque credendum, idem corpus in S. Sacramento nullum locum occupare, ſpecierum fractione non lædi; & licèt realiter, attamen ſpirituali quodam modo in illo eſſe? Spes noſtra corroboratur; *Si Chriſtus reſurrexit, & nos reſurgemus.* S. Paulus. Ille nobis viam ſtravit. Charitatem ſuam demonſtravit, dum in carne glorioſa dies quadraginta in hoc mundo remanſit, ut Eccleſiam inſtruat; & pro noſtro commodo diſtulit in cælum redire. Quantus amor! Pro imitatione: reſurrexit die tertia; utinam & nos reſurgamus contritione, confeſſione & ſatisfactione! lapidem penetrat; ut & nos omnes difficultates vincamus. Quoties ſententiam pro ſermonis argumento deligis, perpende, ad quam virtutem ſe referat: ut illa, *qui ſe humiliat, exaltabitur.* Hæc humilitatem ſatis apertè exprimit. Aliæ è contrario materiam non ita palam declarant; ut: *Quomodo huc intrâſti, non habens veſtem nuptialem?* En hìc deſignatur charitas, ſed operta veſte, nam veſtis nuptia-

lis

lis charitas est. Ubi igitur in sententia delecta virtutem tenueris, ad quam collineat, sermonem tuum sequenti modo deduces; considerando videlicet, in quo hæc virtus sita sit, quæ illius vera signa, qui effectus, quibus rebus comparetur, aut perficiatur; qua quidem methodo semper usus fui, magnumquè mihi solatium attulit, qùod in librum P. Rossignoli è S. J. inciderim, huic methodo consonum, qui de *actionibus virtutum* inscriptus, & Venetîis editus, multæ tibi utilitati erit.

Est & alius modus, de virtutibus agendi; nempe in illis honestum, utile, & jucnndum exhibendo: quæ tria bona desiderari solent. Alter demum est ostendere, quæ bona virtus, quæque mala vitium illi oppositum pariat: verùm huic modo priorem antepono.

Si Evangelium, in quo plures sententiæ occurrunt, explanare cogites, illas seligere oportet, in quibus hærere velis; ut & virtutes, de quibus agunt, & juxta modum de una sententia à me paulò ante expositum, eas breviter explicare, reliquas verò cursim percensere, & strictim interpretari. Ex hoc tamen modo Evangelium, sententiis gravibûs plenum, leviter transeundi, exiguus fructus consequetur, quo minus enim Orator in singulis sententiis sistit, tanto minus sensum suum exponet, & Auditorum animis inculcabit.

Ad vitam Sancti exhibendam diversæ viæ sunt. Quam in Oratione funebri Ducis Mercurii

curii tenui, bona eſt : quia ex Apoſtolo accepta : ut *piè* erga Deum, *sobriè* erga se ipsum, *juſtè* erga proximum vixerit : exponendo ordine certo ſingulas Divi actiones. Aut conſiderare, quid fecerit : *agendo*, scilicet virtutes ? *Patiendo*, tolerantiam Martyrii, vel mortificationum : *Orando*, illius prodigia.

Aut expendere, qua animi fortitudine cum dæmone, mundo, & carne, ſive cum superbia, avaritia, & carnis cupiditate conflixerit, secundùm illud Joannis : *Omne, quod eſt in mundo, aut eſt concupiscentia carnis &c.* Vel, quod in sermone de S. Bernardo Fontonîs habito feci, docere, quis honor Deo in Sancto suo, quis honor Sancto in Deo suo habendus ſit : quomodo divinam opem per deprecationem illius implorare debeamus. Et ita vitam Sancti, de quo sermo ſit, delibare, omniaque ordinatè disponere.

Et hæc hactenus de modo, quo, ubi initium dicendi feceris, poſt breve exercitium aliorum ipse Author eris, qui tibi aptiores, & meliores videbuntur. Unum supereſt ; nempe quod deſiderem scripturæ sententias primô locô, alterô rationes, tertiô ſimilitudines, ultimô exempla, ſi quædam sacra ſint, poni ; non enim convenit profanîs discursum firmare : Sermo Sacer re Sacra absolvi debet.

Similiter methodus petit, ut sermonis inium usque ad medium Auditorem doceat, reliqua pars usque ad finem moveat. Idcirco sermones excitandis affectibus idonei sub Epilogum locandi sunt. Verum poſt hæc omnia

reſtat,

reſtat, ut exponam, qua ratione ſingula tui sermonis capita complere valeas, & ecce modum. Exempli causa, ſi de virtute humilitatis sermo ſit, dispone puncta sequenti ratione.

1. In quo hæc virtus ſita ſit.
2. Illius ſigna.
3. Effectus.
4. Subſidia illam comparandi.

En diſpoſitionem. Ad conficiendam primam partem, quære in Authorum indicibus verba: *Humilitas*, *humilis*, *superbia*, *superbus*. Invenies illorum super his sensa: & quas descriptiones, aut definitiones repereris, pone infra titulum: in quo virtus ſita ſit, ſtudeque hoc caput bene explicare, declarando vitii oppoſiti naturam. Ut alterum membrum absolvas, vide in indice, *humilitas Sancta*, *humilitas indiscreta*, & horum ſimilia; & ex his diſſimilitudinem oſtende inter falsam, & veram humilitatem. Si quæ hujus, & illius exempla reperis, adduc ea; & ita de reliquis duobus punctis. *Intelligenti pauca*.

Authores, qui has materias pertractant sunt: D. Thomas D. Antonius, Guilielmus Episcopus Lugdunenſis in summa de virtutibus, & vitiis, summa Prædicantium Philippi Diez, & omnes illius sermones, Osorius, Granatenſis in suis operibus spiritualibus, Hylaretus in sermonibus, Attilla in Lucam, Salmeron, & Barradius è Soc. Jesu in Evangelia. Inter veteres S. Gregorius excellit, & Chryſoſtomus cum Bernardo. Addo tamen sensum meum. Inter omnes, qui sermones ediderunt, Diezium summopere probo, etenim

ſtyli

ſtyli genus in illo apertum, prædicationis spiritu plenus, argumentum sermonis bene inculcat, locos aptè explicat; elegantes allegorias, ſimilitudines, & hypotheses nervosas adfert; occaſionem captat ornatè dicendi: ad hæc multum devotus, & dilucidus eſt. Quod Osorius habet, in Diezio deſideratur; scilicet ordo, & modus: neutrum enim tenet; mihi tamen videtur, è re noſtra futurum, ſi initio familiarem nobis illum reddiderimus. Non verò hæc usus experiendo me docuit, cùm illius scripta non nisi interjecto longo tempore viderim; sed quia talem æſtimo, & ut mihi videtur, non me fallo. Hispanus quidam magnum edidit librum, *Sylva allegoriarum* inscriptum, valde utilem iis, qui eâuti norunt. Concordantiæ Benedicti commendatione non egent. Hæc habui, quæ præcipuè de materia dicenda mihi occurrerunt.

De Forma, seu de modo dicendi.

Hìc majorem mihi à te, quàm in aliis, fidem haberi deſidero, à communi enim opinione recedo: attamen quod dico, veritas ipsa eſt.

Secundùm Philosophum forma dat eſſe, & animam rebus. Dic mira; ſi non bene dicis, nihil dicis; dic pauca, & hæc bene, multum præſtitiſti. Quo igitur modo in concione dicendum? abſtinendum eſt à *quanquam*, longis videlicet affectatæ eloquentiæ periodis, ineptis geſtibus, & motibus. Omnia hæc peſtis sunt concionis.

Actio

Actio debet esse libera, noblis, animosa, simplex, fortis, sancta, gravis, & aliquantùm lenta. Sed quibus præsidîis acquiratur petis? oportet affectuosè, devotè, simpliciter, candidè, & cum fiducia dicere; oportet, ut de doctrina, quam tradimus, & de his, quæ aliis suademus, ipsi persuasi simus. Ars præcipua est artem nullam habere, Verba nostra accensa sint non à clamore, aut immoderatis actionibus, sed ab interno affectu: plus ex corde, quàm ab ore procedere debent: in cassum dicis; cor tantùm loquitur cordi, lingua solùm auribus.

Dixi actionem debere liberam esse, id est, inaffectabilem. Nobilem petii; contra rusticam quorundam actionem, qui in more habent pugnîs, & pedibus cathedram tundere, pectore incumbere, clamare, & horridos ululatus edere, idque frequenter extra rem. Animosa sit; contra illos, qui timidè dicunt; quasi parentibus suis, non discipulis & filiis loquerentur. Simplex; id est absque artificio, & affectatione, Fortis; contra certam actionem emortuam, mollem, & exsuccam. Sancta; ad excludendam assentationem, & profanam alienæ gratiæ captationem. Gravis; contra illos, qui multoties capitis, & birreti demissione populum reverenter salutant, mimos gestu imitantur, manus, & superpelliceum explicant, aliosque indecentes motus faciunt. Aliquantùm lenta; ad excludendum omnem actionem levem, & festinam, quæ plus obiectat oculos, quàm cor moveat. Idioma pariter sit clarum, nitidum, & populare, abs-

que

que jactantia verborum Græcorum, Hebræorum, recentium, & affectatorum.

Contextus sermonis sit simplex, sine præfatione, sine artificiosa connexione. Id probo, ut ad primum caput dicatur, primò: ad alterum: secundò: ut populus ordinem observet.

Cæterum, neminem unum, præcipuè Episcopos, decet ad gratiam illorum loqui, qui sermoni intersunt; sive Reges sint, sive Principes, aut Pontifices. Sunt quidem certi dicendi modi, ad benevolentiam conciliandam apti, quos in primo ad populum sermone adhibere, & quibus desiderium significare valemus, illius bonum, & salutem omni studio curandi: assentio pariter salutatione, & benedictione sermonem inchoandum esse; sed hæc omnia strictim, cum candore animi, & absque comptis verbis. Antiqui Patres, & quotquot cum Auditorum profectu dicebant, à nugis, & elegantia profana abstinuerunt. Loquebantur ex corde ad cor, spiritu ad spiritum, ut boni parentes cum filiis semones conferre solent.

Ordinaria nuncupatio sit: mei fratres, populus meus (siquidem tuus est) dilectus populus, Christiani Auditores.

Episcopi Officium est, sub finem capite tecto benedictionem impertiri, & sermonem conficere populum salutando. Conclusio fiat verbîs, & sententîis concisîs, nervosîs, & vividîs; Probo pariter frequentem antea dictorum repetitionem, post quam quatuor, aut quinque

quinque verba vel per modum orationis, aut imprecationis cum fervore annectenda.

Multum pariter confert, certas exclamationes sibi familiares reddere, siquidem cum judicio adhibeantur; ut: o Deus! Bone Deus! Dei bonitas! Dominus Deus! verus Deus! ah! heu! Deus meus!

Ut nos ad sermonem ritè paremus, expecto, ut præparatio sub vesperum fiat, & ut mane id, quod dicere cogitamus, meditatione nobiscum volvamus. Præparationem ex mente Granatensis coram SS. Sacramento potissimum adhibendam esse, lubens credo.

Laudo concionem, quæ amorem proximi plus, quàm indignationem redolet, etiam erga sectarios; quibuscum magna cum commiseratione agendum, non quidem blandiendo, sed cæcitatem illorum deplorando.

Præstat, sermonem brevem, quàm longum esse, in quo hactenus peccavi. Licet semihora duntaxat duret, sat longus est. Si fieri possit, offensionem nunquam testetur; nullam saltèm indignationem: ut feci in Virginis festivitate, dum campana pulsaretur, antequam finirem: in quo, ut in aliis pluribus absque dubio lapsus fui.

Non amo facetias, aut ex contumelia indita cognomina, quibus nullus hìc locus.

Claudo dicendo, quod prædicatio sit publicatio, & declaratio Divinæ voluntatis, hominibus ab illo facta, qui ad hoc munus legitimè missus est; ut illos erudiat, & moveat,

at, ut Deo in hac mortali vita dignè serviant, & in æterna illo fruantur.

Quis de his sensus tuus, Domine? Jgnosce, obsecro, veloci calamô scripsi, nihil solicitus de verbis, nihil de arte, unicè cupidus testificandi, quàm promptus tibi obediam. Non expressi Auctores, quos certis in partibus attuli; quia ruri eram, ubi Libri deficiebant. Allegavi ipsum me, opinionem enim meam scire petiisti, non alienam: & cur non animô aperto dicam, quod ipse facere assuevi? Priusquam hanc Eqistolam obsignem, conjuro te, ne illam sub aspectum cujuspiam subjicias, cujus oculi mihi minùs faventes sunt, quàm tui: demissè obtestans, ne te ab ullo genere considerationis abripi sinas, quæ à prædicando te impedire, aut retardare possit.

Quantò citius inceperis, tanto citius res bene & feliciter succedet: & unicus modus, ut quis in prædicando Magister evadat, est: frequenter prædicare. Domine, hoc scis, & debes. Vox tua apta est, doctrina ad hoc munus sufficiens, corporis tui compositio congruens, dignitas tua in Ecclesia sublimis; Deus vult, homines id expectant. Dei gloria, & tua salus id petunt.

Fidenter, Domine, & forti animo pro Dei amore. Cardinalis Borromæus dotibûs, quas tu possides à natura, ne decimam partem instructus, Sacrîs concionibûs populum exhortatur, exemplô ad virtutem prælucet, Sanctimoniam assequitur. Non nostrum sed Dei honorem in omnibus quæramus, & Deo omnia committamus; ipse nostrum quæret. Fac initi-

nitium semel , dum S. Ordines confers ; tum alia vice dic quatuor verba , quando cælesti pane tuos reficis ; post octo , subinde duodecim , donec sermo ad horam dimidiam excrescat : post hæc suggestum ascende.

Amori nihil impossibile est. Dominus noster non requirebat ex Petro , esne doctus , aut eloquens. Ut illi diceret *Pasce oves meas* ; sed : *amas me ?* satis est bene diligere , ut bene dicamus. Joannes in ultima senectute non poterat in plura vocem verba contexere , quàm centies infra horæ quadrantem repetere : *Filioli , diligite alterutrum.* Et cum hoc apparatu suggestum ascendit. Et nos angimur illud conscendere , nisi summâ copiâ dicendi instructi simus. Sine illos loqui , qui fortè Decessoris tui peritiam laudabunt ; etiam ille , æquè ut tu , semel incepit.

Verùm bone Deus ! quid de me dices , dum tecum tam candidè , & sincerè ago ? Nescit amor silere , ubi de amati commodo agitur. Domine fidelitatem juravi tibi , & à servo fideli , & intimè addicto multa ferre suevimus. Ad gregem tuum te confers ; utinam mihi liceret eò currere , ut tibi assistam , ut primam Deo hostiam litanti adstiti. Saltem me illò votîs , & desideriîs tibi comitem adjungam. Populus tuus expectat te videre , à te videri , & iterum videri. Ex initiis tuis de futuro judicium feret. Incipe tempestivè facere , quod semper faciendum est. Quàm bono tuis exemplo erit , quanto solatio ; ubi te pro illorum salute frequenter conspicient ad Aram sacris operantem , de illorum spiritua-

li

li profectu, cum Clero conferentem, ex suggestu de rebus Divinis, & pænitentia sermonem habentem. Nunquam rem Divinam feci, quin Deo te commendarem, nimiùm felicem me, si quidem dignum æstimes, cujus ad Altare Domini memoriam habeas. Sum, & ero, dum vivam, ex corde, anima, & spiritu, Tuus.

FINIS.

PROPOSITIONES
THEOLOGICÆ.

I. THeologia ſeu facultas, quæ de Deo rebusque divinis tractat, quantùm ad ſubſtantiam ſpectata, neceſſaria eſt ſimpliciter toti Eccleſiæ, non tamen ſingulis fidelibus. Vera ſapientia, & vera ſcientia eſt, at non certior omni habitu, & omni naturali ſcientia.

II. Objectum attributionis Theologiæ Deus eſt, cujus innata idea nulla datur, exiſtentia verò Ejus licèt non à priori, demonſtratur tamen à poſteriori ita ſufficienter: ut nullum ſit delirum ſyſtema Jmmaterialiſtarum Parentis Berkei, nullum impium & veſanum Epicuri, nullum, qui omnia volunt eſſe Deum, & Deum eſſe omnia, Pantheiſtarum.

III. Non intellectio, non infinitas, ſed omnimoda aſſeitas, ſpecifica differentia Dei eſt; cujus attributa, tum abſoluta adinvicem, tum relativa ad eſſentiam comparata, nulla reali, nequidem formali, ſed diſtinguuntur ſola diſtinctione virtuali.

IV. Unicus Deus eſt, nec admittenda ſunt duo ſumma rerum principia. Purus Spiritus eſt omnisque compoſitionis phyſicæ, at non metaphyſicæ expers. Eſt actu & ſimpliciter infinitus, formaliter perfectiones ſimpliciter ſimplices,

plices, eminenter verò perfectiones secundùm quid continet. Solus est æternus, immensus, estque in decretis suis omninò immutabilis, non potest videri oculô corporeô, nec per solas naturæ vires ab intellectu creato, at intuitivè ab eodem potest videri, supernaturaliter tamen adjuto, quæ nemini mortalium visio in vivis fuit concessa, nec est in omnibus Sanctis æqualis.

V. Sanctorum animæ, quibus nihil expiandum superest, ad visionem Dei intuitivam statim admittuntur, confictum autem, prorsus rejiciendum est mille annorum post resurrectionem Christi, regnum; de eo Joannes XXII. quæminùs cautè protulerat, morti proximus, ea omnia revocavit.

VI. Cognoscit Deus certissimè futura omnia contingentia & libera, cognoscit & futura conditionata, at quo in medio videat Deus futura libera, tum absoluta, tum conditionata, vix ac ne vix quidem explicari potest.

VII. Opinio de Scientia media philosophicè spectata, prout ab iis agitatur, qui prædeterminantia decreta rejiciunt, mera quæstio de nomine est; sed talis non est, spectata theologicè, seu eos inter, qui decreta, ab intrinseco efficacia admittunt, hoc etenim sensu sumpta, ut non levibûs fulcitur, sic & gravibûs impugnantur momentis.

VIII. De fide est Deum, supposito etiam originali peccato, velle vera & sincera voluntate aliquorum aliorum, quàm prædestinatorum salutem, ita, ut illis conferat auxilia verè sufficientia, quibûs salutem consequi possint; quòd verò velit omnium ac singulorum salutem vo-

lunta-

luntate ſincera & actuoſa ſuppoſito originali peccato, ſuppoſitis etiam actualis concupiſcentiæ gradibûs æquè indubitatum; hinc de fide eſſe, Chriſtum pro aliorum, quàm prædeſtinatorum æterna ſalute mortuum fuiſſe; indubitatum verò pro omnium ac ſingulorum, non ſolùm ſufficientia pretii oblati, ſed etiam voluntate offerentis, eôque animô ſanguinem ſuum Patri obtuliſſe, ut ipſis mereretur gratias ad ſalutem verè & relativè ſufficientes, conſequi clarum eſt.

IX. Prædeſtinatio ad primam gratiam gratuita eſt, gratuita ad gloriam, unde ſufficienter probetur, nihil in ſcripturis eſt, quam Auguſtinus ſi talem docuit, nec docuit ſemper, nec docuit tanquam rem maximi momenti; Auguſtinô autem autiquiores Patres plus favent prædeſtinationi præviſæ, quàm gratuitæ.

X. Deus neminem poſitivè reprobat ex ſola beneplacito, vel ex præviſione ſolius peccati originalis; nec etiam ex eodem beneplacito, & ante præviſum quodcunque peccatum negativè excludit hominem à gloria; adultos baptiſatos non reprobat negative ob originale peccatum, unica reprobationis eorum tum poſitivæ, tum negativæ cauſa eſt, peccatum actuale præviſum.

XI. Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium ſola ratione duce, etiam ſuppoſita fide demonſtrari non poteſt poſitivè, poteſt tamen negativè; ejus aperta cognitio ac profeſſio ad ſalutem prorſus neceſſaria eſt.

XII. Tres ſunt in Deo perſonæ, realiter diſtinctæ, in una & eadem numero divina ſubſtantia. Pater ſecundùm ſe eſt Deus, conſub-

ſtantialis eidem Filius, vera ac per ſe ſubſiſtens Perſona, Spiritus Sanctus.

XIII. Vera & propriè dicta datur in Deo proceſſio, eaque duplex eſt, cujus principium *quò* proximum & immediatum, non eſt per ſe eſſentia divina, præcisîs per mentem intellectu & voluntate, non ſolæ relationes Divinæ; ſed intellectus & voluntas, cùm notionaliter ſumuntur, hoc eſt: quatenus adjunctas habent relationes ſibi proprias.

XIV. De fide eſt proceſſionem verbi Divini, generationem dici debere, cur hæc ſola ſic dicenda ſit, nulla ratio afferri poteſt unde quaque ſatisfaciens.

XV. Nulla eſt in Deo ſubſiſtentia communis abſoluta, ſed ſunt tres relativæ, quæcunque verò abſoluta ſunt, tribus divinis perſonis communia ſunt.

XVI. Verbum Divinum procedit eſſentialiter ex cognitione eorum omnium, quæ ſunt in Deo formaliter, ac neceſſariò, non procedit verò ex cognitione creaturarum in certa temporis differentia exiſtentium.

XVII. Spiritus S. à Patre & Filio tanquam ab uno principio procedit, à Filio ſi non procederet, ab illo nullatenus diſtingueretur, cumque ſuum eſſe ſubſiſtens ex Patre ſimul & Filio habeat, jure ac meritò addita fuit Symbolo Conſtantinopolitano particula *Filioque*.

XVIII. Myſterium Jncarnationis ſive ante, ſive poſt revelationem, ſola ratione naturali poſitivè demonſtrari non poteſt, ſed negativè duntaxat. Angeli boni, & futurum, & factum agnovêre. Patriarchis & Prophetis futurum innotuit.

XIX. Jnvictè contra Judæos, tum ex Jacobi, quod in Christo est adimpletum vaticinio, tum ex multiplici alia, præsertim ex Danielis prophetia (cujus septuaginta hebdomades ab anno vigesimo Artaxerxis Longimani, non autem ab edicto Cyri annô ipsius regni primô, aut ab edicto Darii Hystaspis; aut ab eo, quod tulit Artaxerxes, annô regni septimo, sunt inchoandæ) demonstratur jam diu advenisse promissum Messiam, Eumque non alium esse à Jesu Nazareno Christianæ religionis Authore.

XX. Incarnatio Verbi necessaria non fuit ex hypothesi creationis mundi; nec ex hypothesi lapsûs, generis humani in peccatum necessitate absoluta & simplici, sed ex quadam duntaxat congruitate.

XXI. Nulla pura creatura condignè potest satisfacere Deo pro suo vel alieno peccato mortali, solius Christi satisfactio fuit intrinsecè æquivalens, immo & super abundans; Qui verè & propriè divinæ justitiæ pro nobis satisfecit.

XXII. Humani generis redemptio totale fuit motivum Incarnationis, cujus substantiam de condigno nec Patriarchæ, nec cæteri veteris testamenti meruerunt Patres; ipsa Beata Virgo meruit quidem de condigno illum sanctitatis gradum, quô positô electa est in matrem Dei, haud tamen ipsam maternitatem; immo nec humanitas Christi in priori naturæ instanti ad unionem, nec Christus ipse meruit hypostaticam unionem, quæ, non in natura sed in persona propriè ac immediatè facta, est perpetua & indissolubilis, cujusque vi una est in Christo persona; (unde consequenter Beata Virgo verè Dei genitrix est, & dicitur, ex qua Verbum divi-

divinum veram, nobisque consubstantialem humanitatem, eo instanti, quo operante Spiritu S. concepta fuit, assumpsit, inviolata permanente Mariæ, sive ante partum, sive in partu, sive post partum virginitate) duæ autem post unionem distinctæ & inconfusæ naturæ, divina scilicet & humana, utraque cum suis proprietatibus; duplex voluntas & operatio.

XXIII. Nestorius legitimè ac canonicè ab Ephesina Synodo damnatus, ac depositus fuit. Joannes Antiochenus cum suis Orientalibus personæ duntaxat Nestorii, non ejus errori adhæsit. S. Cyrillus Nestorium impugnans in oppositum Apollinaris errorem lapsus non fuit, ejusque scripta ab omni erroris labe aliena sunt.

XXIV. Admittenda est in Christo idiomatum communicatio in concreto seu respectu personæ, non est verò admittenda in abstracto proprietatum naturæ divinæ respectu humanæ; multòminùs proprietatum naturæ humanæ respectu divinæ. Unde prorsus falsæ sunt istæ propositiones scholæ Lutheri: *Humanitas Christi est ubique, omnipotens. &c.*

XXV. Nulla ratione, nequidem sub expressa humanitatis restrictione, Christus Filius Dei adoptivus dici debet; cujus natara humana hypostaticè Verbo conjuncta, una & eadem cum divinitate Verbi adoratione colenda est.

XXVI. Gratia, quæ donum est supernaturale, creaturæ intellectuali gratis à Deo concessum in ordine ad vitam æternam, à Pelagio tandem aliquando interior illustrationis, tum ex parte Objecti meliùs propositi, tum ex parte intellectûs divinitùs ad credendum adjuti; at nusquam interna voluntatis ad opus bonum

sive

five inchoandum, five etiam perficiendum, antequam condemnaretur à Zozimo, admiſſa, quam poſt decretum Laudati Pontificis, Julianus Pelagii diſcipulus admiſit, non ex ſe efficacem, aut etiam relativè ac neceſſariò determinantem, ut contendebat Janſenius, ſed meram verſatilem, voluntatisque libero arbitrio prorſus permiſſam.

XXVII. Semipelagiani omnes gratiæ interioris neceſſitatem ad initium fidei negaverunt.

XXVIII. Prædeſtinatiana hæreſis non fuit commentitia, ut placuit Janſenio, ſed verè ſub finem ſæculi V. à Lucido Præsbytero, & aliis propugnata, quam ſopitam Goteſcalcus ſæculô IX. exſuſcitavit.

XXIX. Bulla. *In eminenti* Urbani VIII. in cauſa Baji non eſt ſubreptitia, quoad doctrinam ſpectata, ſummum eſt, ac irreformabile Eccleſiæ judicium.

XXX. Quinque propoſitiones fuerunt damnatæ in ſenſu Janſenii, idque canonicè, canonicum itaque eſt, ac irretractabile, quod de Janſenii ſenſu damnando judicium tulit Innocentius X. Clemens verò IX. neſcivit factam fuiſſe à quatuor Epiſcopis diſtinctionem juris à facto, ſed exiſtimavit illos purè & ſimpliciter ſubſcripſiſſe formulario Alexandri VII. imò & id debuit exiſtimare.

XXXI. Ex Brevibus Innocentii XII. ad Belgii Epiſcopos ſcriptis, nihil colligi poteſt in gratiam religioſi ſilentii, quod prorſus eſſe inſufficiens circa dogmaticum Janſenii factum, Bulla. *Vineam Domini* decretoriè pronuntiat.

XXXII. Delectatio relativè victrix ad principia Janſeniana explicata, totius eſt Janſeniani

ni Syſtematis fundamentum, atque ex ea, velut à fonte quinque propoſitiones neceſſariò dimanant.

XXXIII. Conſtitutio Clementis IX. quæ incipit *Unigenitus* æquiſſima & canonica eſt, certiſſimumque Eccleſiæ univerſalis judicium, verum ac propriè dictum dogmaticum, non mera *diſciplinæ politicæ* ac *cautionis* lex; cui judicio ſinguli fideles corde & animo adhærere tenentur.

XXXIV. Juſtitia originalis, cæteraque juſtitiæ dona primis parentibus in ortu ſuo conceſſa, verè ſupernaturalia fuêre, & ipſis prorſus indebita, non ſecus, ac immortalitas, & â concupiſcentia, cæteriſque malis corporis immunitas.

XXXV. Status naturæ puræ, ſub omni reſpectu eſt poſſibilis.

XXXVI. Non omnis gratia voluntatis, nec proinde rectus quicunquè amor Dei, eſt charitas propriè dicta, ideoquè datur amor medius vitioſam cupiditatem inter, & ſupernaturalem charitatem.

XXXVII. Homo lapſus certò cognoſcere absque gratia quasdam veritates naturales, etiam practicas, poteſt, at ſine interioris gratiæ auxilio, neque fidem, neque ejus initium habere poteſt, nec bonum aliquod ad ſalutem pertinens velle, aut perficere per ſolas naturæ vires etiam potentiâ ab actu ſejunctâ; ad quod præter ſanctificantem gratiam, indiget actuali voluntatis adjutoriô; dantur tamen opera verè chriſtiana absque ullo charitatis propriè dictæ motu, quorum aliqua tum ex objecto, tum ex fine absque fide propriè dicta, immò & absquè

ulla

ulla veri Dei cognitione fieri possunt; unde omnes infidelium actiones non sunt peccata. Et quanquam homo lapsus absque ullo speciali auxilio, bonum aliquod morale ordinis naturalis exercere possit, omnia tamen & singula legis naturalis præcepta adimplere sine speciali gratia non potest, sed duntaxat quædam facilia solis naturæ viribûs exequi, potentiâ tum physicâ tum morali.

XXXVIII. Gratia sufficiens, quæ in statu naturæ lapsæ de fide est admittenda, ex fide Ecclesiæ ea intelligenda, quæ veram, expeditam, & relativam ad prementem hic & nunc tentationem, & concupiscentiæ gradum confert ad opus bonum potentiam saltem mediatam; hæc justis omnibus urgente præcepto datur, cum qua possunt perseverare usque in finem; à sanctificante distinguitur, non verò ab auxiliis actualibus & ordinariis, præter quæ, & gratiam sanctificantem, adhuc speciali (quod simpliciter sub meritum cadit) auxiliô Dei, ad perseverandum usque in finem, in actu secundo opus est.

XXXIX. Peccatoribus obduratis & obcæcatis non deest gratia sufficiens, saltèm remotè, quâ possint nova peccata vitare, præcepta implere, & cordis duritiem ac cæcitatem deponere; conceditur & infidelibus omnibus, quâ ad fidem converti, & ad salutem pervenire possint; ipsis etiam parvulis, quibus per baptismum non succurritur, sufficienter Deus providit de applicatione remedii ad salutem necessarii.

XL. Gratia efficax, quæ certò & infallibiliter dat velle & operari, quod nullam voluntati necessitatem imprimat, nequidem muta-

bilem

bilem & relativam de fide eſt, ejus verò efficacia, non à delectatione relativè victrici ad ſenſum Janſenii, non à cooperatione voluntatis humanæ, nec ex convenientia & attemperatione illius ad circumſtantias, prout illæ ſubſunt ſcientiæ mediæ, nec ex præmotione phyſica, nec ex interna ſuavitate, ac victrici ejus delectatione *unicè* & *adæquatè* repetenda; neque etiam in multitudine, varietate, & conſpiratione plurium auxiliorum reponenda, mirîs illa ac innumerabilibûs modîs operatur, ac definiri certò non poteſt, quomodo ea operetur.

XLI. Sola Chriſti Religio indubiè vera, Moſaica, quæ poſt tempus abrogari debuit, non ſecus ac ea, quæ in perpetuum conſtituta non fuit, de facto abrogata eſt, vera tamen, ac divina fuit; Machumetana rejicienda prorsùs, Ethnica nec religionis quidem nomine dignanda. Præter naturalem, quam homo tenetur exequi, non poſſibilis tantùm, ſed & divinis attributis omnimodè congrua *eſt* Religio revelata, quæ pluribus aliis, præter Hebræos, populis innotuit, quibus verò ſubtracta, partim juſto, partim miſericordi Dei judicio ſubtracta eſt.

XLII. Quô Proſelytorum ſuorum conſcientiam tranquillare, & Religionem ſuam unde confirmare poſſent Deiſtæ, nihil habent, multùm verò habent, unde eidem grave præjudicium inferant: Antecedenter ad poſitivas quascunquè Dei & hominum leges, de ſe bona & de ſe mala opera dantur; ut ſua virtuti merces, ſua etiam vitio pœna poſt hujus vitæ exitum reſpondeat, exigit ordo; anima eſt, & eſſe immortalis debet; æternitas pænarum impiis conſtitutarum nulla ratione convellitur; contra verò gravibûs fulcitur momentis. XLIII.

XLIII. Ecclesia, quæ apud varios, varia est, rectè definitur: *Cœtus hominum unius & ejusdem fidei Christianæ professione, & eorundem Sacramentorum communione conjunctus, sub regimine legitimorum Pastorum ac præcipuè Romani Pontificis.* Ejusdem Author de potestate suprema & independenti solus Deus est, potestate excellentiæ & ministerii principalis, Christus, in genere causæ ministerialis inferioris, etiam homines concurrisse ad eam instituendam dici possunt. Antiqua est, non quidem strictè sumpta pro societate eorum, qui in Christum jam natum & passum fidem habent, sed sumpta pro multitudine fidelium, qui ab initio mundi vixerunt in terris; hoc sensu accepta vel ipsîs naturæ & legis scriptæ temporibûs adeò floruit, ut tunc temporis veros extitisse christianæ Religionis cultores asseri meritò possit.

XLIV. Parùm esset perspectum habere Ecclesiæ Christi naturam, si aliunde non suppeterent certæ quædam notæ, certi quidam characteres, quibûs à quacunque alia, quæ vel ipsam mentitur, aut aliquam certò cum ipsa similitudinem habet, secernatur. Characteres illi & illæ notæ, cùm de sua id ratione habent: ut propriæ sint & non communes, ut re, cujus sunt, notiores & ab ea distinctæ, ut sint sensibiles quodammodo, omnibus obviæ, & cognitu faciles; neque igitur vera Christi doctrina, neque legitimus Sacramentorum usus, sunt veræ notæ, quibûs certò dignosci & à quacunque alia falsi nominis discerni possit, vera Ecclesia Christi; quæ ita est una: ut prorsus excludat quascunque alias societates, quarum fides diversa est erronea, in articulis etiam non funda-

men-

mentalibus, & extra ipſam nulla ſit ſperanda ſalus; hanc unitatem, quæ nota eſt ac character veræ Eccleſiæ Chriſti, ſola Catholicorum Eccleſia habet, à qua nulli unquam licet ſeſe ſeparare; ita ſancta eſt: ea ſanctitate, quæ veræ Chriſti Eccleſiæ propria eſt, ac ſingularis, ut nulla alia ſocietas ea ſanctitate ſit ſancta; eſt verè catholica: catholicitas enim eſt vera ac ſingularis Eccleſiæ nota, eſt Apoſtolica: tum propter originis & doctrinæ ab Apoſtolis derivatæ antiquitatem, tum propter Paſtorum ſuorum legitimam miſſionem, tum denique propter eorundem non interruptam Apoſtolicam ſucceſſionem. Hæc Chriſti Eccleſia, quæ ita eſt viſibilis ex natura ſua, ut ſemper oculis omnium conſpicua fuerit, quæ nunquam defecit, nec unquam eſt defectura, ſola Romana eſt, ac eſſe debet, nulla proin alia ad veram Chriſti Eccleſiam pertinet, quæ cum Romana communionem non habet, nec ei conſentit, non quidem quantùm ad particularem, quæ pro locorum varietate, varia eſſe poteſt, ſed præcipuè quantùm ad finem & generalem morum diſciplinam.

XLV. Sola Eccleſia (cujus regimen purè Monarchicum non eſt, ſed ariſtocratiâ temperatum) ſupremus eſt controverſiarum Judex, quæ interdum judicat per Romanos Pontifices, interdum jus, quod habet cauſas Religionis dijudicandi, exercet per privatos Epiſcopos in ſuis ſedibus diſperſos, ſive extra, ſive in Conciliis particularibus: ſive per literas, ſive per conſenſum expreſſum, aut tacitum; porrò in cauſis fidei, & morum definiendis errare non poteſt, ſive per orbem univerſum diffuſa, ſive

in

in Conciliis generalibus congregata; nec fieri poteſt, ut multitudo Epiſcoporum, paucîs ex adverſo reclamantibûs ſimul cum Romano Pontifice in cauſa fidei errorem definiat; ad cujus definitionis firmitatem moralis Episcoporum unanimitas ſufficit.

XLVI. Non omnes, nec ſoli prædeſtinati, ſunt in Eccleſia Chriſti; quæ non ex ſolis perfectis & juſtis conſtat, ſed admixtos habet homines imperfectos, & peccatores, etiam manifeſtos. Hæretici publici in Eccleſia nullatenus, occulti autem ſunt in ea ſolùm quoad corpus ſeu partem ejus externam; Schiſmatici & verè excommunicati penitùs non ſunt, nec Catechumeni ſunt actu vera Eccleſiæ membra.

XLVII. Uſu conſtanti ac perpetuo Eccleſia de ſenſu propoſitionum, Librorum, ac Auctorum decretoriè pronuntiavit, juncta ſimul juris & facti quæſtione, damnans propoſitiones ſæpiſſimè æquivocas, nulla facta prævia diſtinctione ſenſus veri & falſi, ſed habita dnntaxat ratione ſenſus privati, ab Auctore vel libro damnando intenti; non autem propoſitionis in ſe & abſolutè ſpectatæ.

XLVIII. Sanctus Pretrus à Chriſto ſupra alios Apoſtolos primatum accepit, quem in honore & jurisdictione obtinet in tota Eccleſia, idque jure divino Romanus Pontifex; cujus in quæſtionibus fidei præcipuæ ſunt partes, ejusque decreta ad omnes & ſingulas Eccleſias pertinent, quibus religiosè ſemper obſequendum. Neque enim obedientia, quæ ſummo Pontifici ab omnibus debetur, in ipſius non errandi privilegio ſubnixa eſt, ſed in ſuprema, quâ gaudet ſupra Chriſtianos omnes ſpirituali poteſtate; infalli-

bilitas

bilitas autem Summo Pontifici ab aliquibus asserta, non est regula certa, quâ fidei controversiæ dirimantur; Certissimum verò illud Melchioris Cani Lib. 5. de locis Theologicis Concl. 3: *qui Summi Pontificis omne de re quacunque judicium temere ac sine delectu defendunt, eos sedis Apostolicæ auctoritatem labefactare, non fovere, evertere non firmare - - - - - quid tandem disputando adversum hæreticos ille proficiet, quem viderint non judiciô, sed affectu patrocinium auctoritatis Pontificiæ suscipere, nec id agere ut disputationis suæ vi lucem ac veritatem eliciat, sed ut se ad alterius sensum, voluntatemque convertat? Non eget Petrus mendaciô nostro, nostra adulatione non eget.* Christus nec Romanis Pontificibus, nec Ecclesiæ toti ullam in res temporales auctoritatem concessit, ac per consequens, Reges & Principes potestati Ecclesiasticæ nullatenus subjiciuntur, in temporalibus, nec auctoritate Clavium, etiam indirectè, unquam deponi possunt, aut eorum subditi, à fide illis debita dispensari.

XLIX. Antiquus est, rectus ac laudabilis Sanctorum in Cælis regnantium cultus, qui eorum reliquiis meritò ac licitè religiosus impenditur. Sanctos verò invocare, ut pro nobis ad Deum intercedant, bonum est atque utile. Jmaginum usus, non ita quidem frequens, attament fuit aliquis apud Christianos tribûs primîs sæculîs; earum licitus est, nec idololatriæ incusari potest cultus, sed neque vera Christi crux, neque ejus imago adoratione latriæ est adoranda.

L. Fides, quæ sola non justificat, necessaria ad justificationem, non est specialis promissionum

fides, ſed eſt dogmatica ſeu Catholica
rmus nimirum aſſenſus ac certus rebus
à Deo revelatis; concurrit ad juſtifica-
(in qua peccata verè tolluntur quan-
culpam, & non ſolùm teguntur) non
m meri organi, quô apprehenditur ju-
, ſed per modum propriè dictæ diſpo-
& impetrationis; juſtificatio verò non
ı ſola peccatorum remiſſione, ſed in-
nſuper hominis renovationem forma-
ludit, fitque formaliter per donum ali-
t rnum & animæ inhærens. Juſtitia,
ı habita amitti poteſt, nec ad ſolos
ertinet, nec eſt æqualis in omnibus
emo autem, ſecluſa, ſpeciali revela-
ide divina credere poteſt remiſſa ſibi
ıta, nemo poteſt, nequidem de con-
ereri primam gratiam actualem; nemo
igno primam gratiam ſanctificantem,
rſeverantiam; poſſunt tamen juſti me-
ondigno vitam æternam.

Ad Majorem Dei Gloriam.